

Contritionem nimirum, & Fidem; inquit: Constat autem pœnitentia propriè his duabus partibus. Altera est CONTRITIO, seu terrores incussi conscientia, agnito peccato. Altera est FIDES, quæ concipitur ex Evangelio, seu absolutione, & credit propter Christum remitti peccata, & consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat.

49. Expendit nimirum confessio nostra, vera conversionis ad Deum προσκείμενα sive requisita, quorum duo isthæc vel maxime sunt propria: 1. de admissis peccatis serio dolere: 2. firma fide promissiones Evangelij proprias apprehendere.

50. Oritur utrumque hoc προσκείμενον ex duobus illis doctrinae Christianae generibus Lege & Evangelio: Cujus utriusque etiam, non alterutrius duntaxat ministerium, ad veram pœnitentiam in homine peccatore generandam concurrat necessum est.

51. Non confuse quidem, sed distinctè: ut doctrinae legis mortificatio: Evangelio verò vivificatio unice ac in solidum adscribatur. Quemadmodum enim Lex iram operatur. Rom. 3. 10. Sic Evangelium est potentia Dei ad salutem & odor vite ad vitam omni credenti. Rom. 1, 16. 2. Cor. 2, 16.

CON.